

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

12

THEOLOGIA NATURALI
EXISTENTIAM
SPIRITUS INFINITI,
QUI EST
DEUS,

PRO AUSPICE
in almâ Wittebergenſi
SUB PRÆSIDIO

IRI
Præclarissimi atq; Amplissimi
DN. M. SIMON FRIDERICI
FRENZELII,

Amplissimæ Facult: Philos. Adjuncti
meritissimi,

Dn. Favitoris ac Præceptoris sui æternum
colendi,

publicè defendendam suscepit
THOMAS STELLER, Hung:

Theol: & Philos: Stud.
In Auditorio Majori

ad Diem 2. Januarij Horis Antemerid.

WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXVII.

2420

VIRIS

*Plurimum Reverendis, Amplissimis, Doctrinâq; ac Vitâ Theologicâ
Clarissimis,*

Dn. ELIÆ GRESCHNERO Ecclesiæ Christi,
quæ Neosolii Nationis Germanicæ est, Pastori Primario & Gym-
nasiarchæ gravissimo.

Dn. MATTHÆO FRIEDELIO } Eiusdem Ecclesiæ Sym-
Dn. MATTHIÆ PORSCH } Mystis & Verbi Mini-
Dn. SAMUELI CZERNACK, ibidem Ecclesiæ } stris vigilantissimis.
Schlavorum Pastori dignissimo, & Gymnasilii Inspe-
ctori gravissimo.

Dn. PETRO SEXTIO, ejusdem Ecclesiæ Sym-
Mystæ vigilantissimo, fidelissimo.

Dn. GEORGIO LOWCZANI ibidem ad E-
dem S. Elisabethæ Pastori dignissimo.

nec non

Pari Virorum

*Doctrinâ Clarissimorum, & Generis Nobilitate
conspicuum*

Dn. M. JOHANNI HEINZELIO Rei Pub:
Neosol: jurato Civi, & Literariæ Directori
meritissimo.

D. M. MATTHIÆ STÛRTZER, Gymnasilii Neo-
sol: Patrii Con Rectori fidelissimo, diligen-
tissimo.

**Dnn; Patribus in Christo Venerandis, Fautoribus, Promo-
toribus, respectivè Cognatis, Præceptoribus item, eo
Honoris, quem Homo Homini deferre potest & de-
bet, cultu, omni tempore & Loco, prosequendis, co-
lendis, suspiciendis, hunc Studiorum Academico-
rum Prodromum, sacrum esse jubet**

Respondens.

Timor Supremi Sapientiae Principum.

Omnibus in rebus feliciter omnia cedunt,
Qvi statuit finem principiumq; DEUM.
Tu mihi continuo studiorum Summe fuisti,
Principium, medium, Tu quoq; finis eris.
Te duce Naturam scimus Te lumen abunde
Naturæ ESSE docet, quomodo? monstrat opus
Ergo principium, medium, finemq; laborum
Dirige nostrorum, maxime RECTOR, Amen.

THEOREMA I.

In Parte Pneumatica propria Spiritus contrahitur per certos modos ad sua inferiora, quae sunt Spiritus Infinitus & Finitus, & hic vel Completus vel Incompletus.

THEOREMATIS EVOLUTIO.

§. I. **E**gressis Communem Pneumaticam Partem, Spiritum ab Infinito & Finito abstractum, exhibentem, planior nobis panditur via, ingrediendi Partem ejus propriam, in qua Spiritus per modos determinatiore ad inferiora contrahitur, ut non precise amplius, sed expresse potius, non juxta communem, sed determinatam essendi rationem, indeq; nec secundum affectiones generales sed proprias spiritui tali vel tali, h. e. Infinito & Finito!, spectandus sit. Uti enim Spiritus in statu suo objectivo Ideali, praesente conceptum ejus objectivum precisum & actualem, spectatus, Communem Pneumaticam Partem reddidit de facili: pari ratione Status ejus Universalis conceptum objectivum potentialem exhibens, facit ad constituendam Partem ejus propriam, adeo ut Universalis quidem maneat per aptitudinem essendi in pluribus, juxta quam ad inferiora sua contrahibilis est: superveniente vero attributione reali spiritus ad inferiora, contractus conceptus

A

ceptus

ceptus surgit: Inde in illo Universalitatis statu inferioribus suis communis est, ut prædicetur de his Synonymicè, & contrahatur ad modum conceptuum Analogorum, per Analogiam attributionis intrinsecæ. Quo de pluribus actum est in *Disp. II. Part. Comm: Probl. I.*

II. Enimverò Spiritus cum Genus non sit, nec Spiritus Infinitus & Finitus ejus species sunt: Quæ de re Scientia nostra minimè Species sui Generis, sed quasi Species sui Objecti ex mente Magnif. D. CALOV: in *Horist: Art. post: cap. 2. p. 360.* Aut, si majoris, modos quasi específicos contrahentes, sive ex sententiâ D. KLOTZ. in *Theol: Nat: Disp. III. §. I. determinatiores*, exhibet. Ex quâ contractione nascitur illa Divisio Spiritus in Infinitum & Finitum, Independentem & Dependentem à corpore, præcipiente nunquam satis laudando D. CALOV: in *Methodol: pag. 670.* Aut in Independentem, quia nullo esse suum habet; & dependentem, qui ab alio dependet in suo esse, tradente laudato Klotz. l. c. Quæ tamen Divisio non est Univoci in species univocas, neq; Analogi Generici in Analogas, sed Analogi puri in Analogata, quorum potissimum est Spiritus Infinitus. Præter hunc, cum Finitus ille seu dependens Spiritus alius sit corpore absolutus & Completus, ut Intelligentia; alius verò naturâ ad Corpus ordinatus, adeoq; incompletus, surgit Partis propriæ Pneumaticæ ex diversitate modorum contrahentium Divisio in Theologiam sive θεολογίαν naturalem, Ἀγγελολογίαν & Ψυχολογίαν.

THEOREMA II.

Inter inferiora illa Spiritus, Spiritus Infinitus, qui est Deus, facile primum Pneumatica est Objectum, maximè perfectionis.

EVOLUTIO THEOREM:

Subjacet Spiritui Spiritus Infinitus, tanquam inferius superiori, non per modum dependentiæ, sed in ordine prædicationis: id enim, quod minus commune est & in propriâ essendi ratione, iis demq; Attributis spectatum Objectum, sub communi ponitur conceptu, unâ cum cæteris Finitis Spiritibus. Est itaq;

Deus

*Deus Objectum Pneumatica primum; primitate non adequati-
quod est Spiritus quâ talis: sed perfectionis, cum Spirituum sic
perfectissimus ac infinitis adeo modis superet finitos eminen-
tiâ suâ: nec minus primitate attributionis, cum non modo pri-
mario Spiritus dicatur, sed & eidem affectiones Spiritus primo
tribuantur. Hujus ergo nobilissimi Objecti partialis repræ-
sentatio parit θεολογίαν seu θεογνωσίαν Naturalem. In quâ evol-
vendâ ab Ipso Sapientissimo Spirituum accersimus initia, cum
eo ampliora conficimus spacia, ad eum celebrandum sine fine,
nostrum dirigimus finem.*

SECTIO PRIMA.

EXHIBENS THEOLOGIAM NATU- RALEM.

THEOREMA I.

*Existencia DEI nota est homini, lumine Nature,
per modum habitus, ut notitia illa naturalis sit
habitus, quo intellectus humanus, existen-
tiam DEI lumine nature cognoscit.*

THEOREMATISEVOLUTIO, AD SUBJECTI SEDEM DISCIPLINAREM:

S. I. τὸ εἶ ἐστὶ ἀνεκείνῃ τὸ τί ἐστὶ, præcipiente Philosopho
l. 2. poster: *Analyt: c. 1.* Enim verò, ESSE DEUM, in *Metaphysicâ*,
Disciplinarum Reginâ, supponi videtur non injuriâ, quippe
cum in *Minori Entis abstractione* Ens à determinatis essendi rati-
onibus non abstrahat modò, ac ab Ente Finito ac Infinito præscin-
dat; sed & præterea in ordinatâ repræsentatione, sub Ente in
minori abstractione comprehensorum, Substantia dividatur in
Spiritualem & Corpoream, illa verò in infinitam & finitam: imò
in *Objectorum Disciplinarum determinatione*, substantie Spiritua-
lis existentiâ supponatur ante omnia, ut in *Horistice* illâ, pro-
bandi Spirituales Substantie existentiâ, propria habeatur se-
des. At licet *Metaphysicâ* Spiritum, præscindentem ab Infinito &
A 2 Finito,

Finito, esse, certâ ratione probet, eumq; evolvendum luculentius in ratione essendi, attributisq; propriis, ac operibus Pneumatica committat, in sede tamen propriâ, partialis cujusdam Objecti existentiam, ad eodq; Spiritum talem vel talem esse, argumentis clarioribus demonstrare, integrum erit Disciplinæ particulari: in hâc enim Objecto quodam partiali ignorato, vel negato, non protinus communis cæteris conceptus objecti tollitur, sed ignorati vel negati illius objecti existentiam in specie probandi, necessitas quædam nascitur, imò a contradicentium ordine asserentibus manifestè imponitur.

II. Quid? quod Noologia, habitus ille mentis principalis, ex convenientiâ rerum prima cognoscendi principia deducat, inter quæ theoreticorum primū κατὰ τὴν facile princeps est: DEUS EST: aut in advertentiâ rerum necessariarum adscensus paratur ad Ens quoddam summè necessarium, summè optimum, summè perfectum. Quæ theoretica Principia postmodum è convenientiâ rerum contingentium insequuntur practica de DEO, ut DEUM solum summo honore esse colendum, summo amore diligendum: Veruntamen Principia illa cognoscendi nota sunt τῆν φύσιν, habitualiter, ex reliquis imaginis Divinæ; habitus verò Intelligentiæ est quædam τελείωσις τῆς φύσεως: illa ponunt habitum innatum, cum sine omni Methodo ac gymnasiâ insint, duce Naturâ: hic verò est acquisitus, per abstractionem, Principia cognoscendi complexa, tradens: Illa κατὰ τὴν solum Naturâ nota sunt; in hoc verò cognitio facilior ac exquisitior per modum Discipline surgit. Confer. D. CALOV. Noolog. c. 1. p. 52. & 55

CIRCA PRÆDICATI MOMENTA.

§. I. Ea itaq; notitia de DEO, ut sic ac generaliter spectata naturalis salutatur à principio proximo, quod est Natura & Creatura, ut contradistingvatur supernaturali, cujus Principium est Scriptura: Illa enim est reâ rationis, hæc puræ revelationis. In sensu latiori utraq; quidem revelata dici meretur, illa à DEO in Libro Natura revelata per Principiorum cognoscendi in intellectu inscriptionem, totiusq; Universitatis Creationem; hæc in Libro Scriptura, per singularem Spiritus S. inspirationem, Sanctis

Sanctis viris Dei factam. Cum verò penes Philosopho-Theo-
logos strictior hæcenus Vocum illarum obtinuit sensus, usui
recepto hæc in parte cedendum omninò erit.

II. Uti verò *cognitio Naturalis præscindit ab insitâ & acqui-
sitâ*, ita *conceptus ejus laciôr*, qui est *habitus*, indeterminate hic
ponitur & *abstractus ab utrâq;*. *Conceptus strictior* exhibet *Sub-
jectum* hujus qualitatis, quod est *Intellectus humanus*, ut aded
subjectum quod sit homo, *Subjectum quo*, idq; *mediatum*, *Animæ
rationalis*, *immediatum*, facultas illius princeps, *intellectus*.
Hic quippe sibi relictus in naturali suâ & inditâ virtute, *Subje-
ctum est notitiæ insitæ*: excitatus verò subindè ab insitâ, & junctus
Objectis extra se in Naturâ positis, per *discursum naturalem*
subjectum evadit notitiæ acquisitæ.

III. *Objectum cognitionis naturalis sive Materia circa
quam est DEUS*, spectatus in *esse suo absoluto seu ratione Essen-
tiæ* maximè, indeq; *promanantium attributorû ac operum*: mi-
nimè verò in *esse relativo seu ratione Personarum*: *Priori enim
modo scitur ex Naturâ & ratione*, *posteriori a creditur unice ex
Scripturâ & supernaturali revelatione*. *Materiam ex quâ & For-
mam formare*, ubi nulla proprie est, *supervacaneum est*, licet
impropriè tales adducantur ab aliis.

IV. *Causa Efficiens prima illustris hujus Θεογνωσίας est ipse
DEUS gloriosus*, *Natura illa naturans*, ac admirandus *Macro-
cosmi & Microcosmi opifex*, in utroq; *vestigia sua exprimens cla-
rissimè*, & *planam sternens Viam*, tanti *Conditoris percipier
Sapientiam*. *Secunda est Natura illa Naturata*, quæ *geminum
explicuit librum*, *alterum in Intellectu hominis primùm creati*,
in Splendidissimâ Autoris sui maximèq; exquisitâ notitiâ, post
generati, aliquali modò, *longeq; per lapsum*, *obscuriori noti-
tiâ de DEO micantis*; *alterum in singularum Creaturarû ortu*. Ex
quo principio gemino oritur liber Naturæ internas, ac *externus*,
evolvendus è vestigio prolixioribus lineis.

V. *Finis deniq; Theologie Naturalis directus*, ac à *Deo
per se intentus*, isq; *ultimatus est deductio hominis ad Deum ve-*

rum, mente devotâ quarendum, in coetu suo sancto, per
verbum inspiratum se revelantem: Subordinatus verò est Vita
ad notitiam illam sacram compositio, morum directio, ac discipli-
na externa. Finis ind. rectus, ac ex accidenti obtentus, est digna
sine DEO agentium reprobatio, justaq; condemnatio.

THEOREMA II.

Pro diverso itaq; principio, nec non inessendi mo-
do Existentia DEI nota est, tum per habitum
innatum, tum acquisitum, ut ex eo notitia
DEI naturalis alia sit innata, alia acquisita:
Innata est habitus principiorum primorum de
DEO intellectui à Naturâ sine mentis opera in-
ditus, eumq; perficiens ad DEUM actualiter
cognoscendum.

EVOLUT: THEOR:

§. I. Profluit ea Divisio partim ex diversitate principii,
quod est Nature Liber, vel internus, expositus in Microcosmo
Animâ: vel externus, propositus in Macrocosmo, ac totâ adeò
rerum universitate: partim ex inessendi modo, quatenus altera
notitia inest per modum habitus innati, altera per modum
habitus acquisiti.

II. Notitia Dei innata audit penes Theologos cum maxi-
mè reliquia divina imaginis, penes JCros jus sive lex Natura, pe-
nes Philosophos verò principia nobiscum nata, Κοινὰ ἐννοια, nec
non δῆλον ἐμψυχον, notitia subjectiva.

CONCEPTUS DETERMINABILIS.

§. I. Est habitus, scilicet non sic dictus rigoroſe & primariò,
sed analogicè & secundariò. Et hic conceptus est de naturalis no-
titie essentiâ, quia est qualitas in mente firmiter radicata, ad
ejusdem perfectionem circa objecti Cognitionem, cum poten-
tiae intellectuali, ut perfectio quaedam & τελείωσις, post lapsum
residua

residua acceperit: est latior eâ, & communis acquisita, aliisq;
quàm plurimis; est proximus.

II. Accedit, quod omne Intellectui humano inhærens,
ex pronunciato *Philosophia. Eth. c. V.* sit vel *affectus*, vel *natio-
nalis potentia*, vel *habitus*. At ea *Theognosia* non est *affectus*,
quia permanens est qualitas, diutiusq; ac firmiter inhærens:
nec *potentia naturalis* aut *facultas quædam*, cum hæc habeat se-
se indifferenter, nec ullam facilitatem *subjecto* propriè indu-
cat: Ergò *habitus* erit: isq; non *acquisitus* per *exercitationes*
crebras, comite *informatione* *sedulâ*, præviâ *benignâ natu-
râ*, sed in viâ *creationis* *primis concreatus* nostris *Parentibus*, &
in viâ *generationis* *connatus*, ut in omnes *posteris* eâ *ratione*
transeat; Deniq; non *Moralis*, sed *Intellectualis*, ut *constabit*
ex secuturis *proximè*.

CONCEPTUS DETERMINANS.

§. I. Qui de promitur à *Materiali*, quod sunt *principia*
prima; Cum enim *principia nobiscum* nata plurima sint, eaq;
vel *theoretica*, vel *practica*, & ista aut *Universalis*, aut *particu-
laria*, illarum *principia* præbent *Axiomata*, quæ de *DEO* habentur:
ut *ex theoreticis*: *DEUS est omnia moderans & Providentiâ dirigens*;
quod *primò primum* dici meretur, cui jungitur *secundo primum*:
DEUS est unus, eternus, Vindex. &c. *ex practi-
cis* autem sunt ista: *DEUS est colendus, amandus &c.*

II. *Formale* sistitur (1.) in *objecto cognoscibili*, quod est
DEUS in sua Essentiâ potissimum spectatus. (2.) in *subjecto imme-
diato*, qui est *intellectus humanus*, *mediatum enim est Anima*,
utrumq; *subjectum quò: subjectum verò quod, homo, cum* *cujus exi-
stentiâ notitia de existentiâ DEI initium sumit, sive ille sit Em-
bryo, sive Infans, sive Adultus, sive vigilans, sive dormiens* aut
cujuscunq; conditionis (3) *modus & ipsa ad eò cognitionis*
activitas in eo versatur, quod sine mentis expediatur operâ,
*eamq; tamen perficiat certâ ratione: actu inest intellectui cog-
nitio, non verò per modum actus, ut aliàs in ratiocinatione*
*& discursu evenire solet, ubi termini capiuntur, componun-
tur, dividuntur, quæ à naturali notitiâ omnia exulant longè;*
CUM

cum infans propositionem talem: DEus est, mente formæ
minimè: nihilo secius intellectui accidit ejus habitus, perficere
ens eum atq; facilitans.

III. *Causa Efficiens proxima est Natura: remota particu-*
laris sunt Parentes, uti enim illi per generationem semina mor-
borum affectuum aliarumq; inclinationum communicant à se
generandis, quæ latentia primùm, succedentibus annis erum-
punt in actum facilè, ac in amplissimos ortus surgunt: ita se-
mina illa Divinitatis communicantur illicò mentibus nascenti-
dorum, & lacte materno instillantur, duratura per omnem
vita actum ac ubiq; sese exertura. Universalis est DEus, primò
primis Parentibus imaginis suæ Thesaurum incomparabilem
tribuens, cujus potior pars consistebat in cognitione sui, &
quæ nostra vera demum & æterna absolvetur felicitas in futu-
râ Vitâ; postmodum Idem de tantis per lapsum amissis bonis,
certas concessit reliquias singulis, ut primùm habeant gradum,
pervenienti mente ad sui Conditorum. Finis verò ejus est actu-
aliter DEum cognoscere, cum non subsistat ita in se notitia & sem-
per maneat eadem, sed vires exerat, atq; actum primum ad se-
cundum traducat.

THEOREMA III.

Acquisita Notitia DE est habitus, Vi discursus
mentis naturalis, per contemplationem Crea-
turarum paratus, ad demonstrandam Crea-
toris Existentiam, aliq; eam insequentia.

EVOLUT: THEOR:

S. I. *Contradistinguitur Insita Notitie Naturali, Acquisi-*
ta: Convenit illa cum hac in conceptu communi, qui est habitus,
utriq; essentialis, latior atq; proximus. Perficit enim intelle-
ctum per suam virtutem non minus insita notitia, quàm acqui-
sita; quanquam id discriminis inter illas intercedat, quod in-
sita habitus analogicè dicatur, & deus p̄os, acquisita verò p̄p̄-
tos s. primariò.

II. Sub

II. *Subiectum acquisita notitia immediatum est Mens naturalis, mediatum Anima: utrumq; subiectum quo salutatur, cum subiectum quod sit homo, qui pollet recta rationis usu, & debito studio inquirendi Deum flagrat. Inde cum alter præ altero vel rationis qualitate, vel studii assiduitate excellere queat, non negandi hinc erunt gradus cognitionis huius: potentia quidem cognoscitiva communis singulis, actus tamen pro varietate subiectorum diversus, ut excellentior sit in hoc sæpe numero, quam in altero.*

III. *Nec minus principium cognoscendi commune est, quod est creatura sive mundi factura, ut quilibet, rationis exercitio præditus, ab existentiâ Creaturarum, ad Creatoris existentiam mente suâ concludere possit de facili, & non parva illius Notitiæ pars vel à proprio surgere marte: Confirmari tamen ea subinde augeriq; luculenter & consolidari magis per Doctrinam ac institutionem aliorum, ceu fidissimorum Naturæ, Magistræ optimæ, Discipulorum potest, ut non minus propriâ contemplatione accuratâ, quam sedulâ aliorum auditione habitus ille parari possit. Obtinent enim & hinc locum Natura, Informatio, Exercitatio.*

IV. *Finis est demonstratio Existentiæ Creatoris, aliorumq; eam insequentium: Scientificus enim hic habitus est, demonstrationem referens, si non diuini ac à priori, tamen òti ac à posteriori, cum argumenta procedant ab effectu ad Causam. Objectum demonstrabile non modo est Essentia diuina in se spectata, sed & attributa operaq; naturaliter cognoscibilia.*

THEOREMA IV.

Oppositum Notitiæ de DEO naturalis dicitur esse Atheismus, consistens in ignorantia de DEO.

EVOLUT: THEOREM:

§. I. *Oppositorum opposita est ratio, eaq; iuxta se posita magis elucescunt. Notat verò Atheismus non negantes Deum ratione Personarum spectatum, quod nomen omnes Gentiles ex æquo incurrunt: sed ratione Essentiæ, ut DEum esse, negent verò*

B

ibis

bis atq; factis & planè non esse seriò statuunt. Qui vocatur Atheismus Speculativus, directus, oppositus indirecto.

II. Pari ratione vi contrariorum dispesci potest Atheismus in innatum, qui esset ignorantia de DEo homini congenita, qualem vel Sociniani omni contentione tuentur, et acquisitum, quo mens humana certò statuit, DEum non esse. Insitus si concedendus, neganda & principia nobiscum nota, quibus negatis obtinendi illum, prona & facilis foret via. Uti verò omninò illa principia insita sunt naturá, & conscientia à primo ortu concedita lex: ita nec unquam Atheismus directus statuendus.

III. Directum intelligo, eumq; actum dari in homine ullo nego, & si non simul neganda obfuscatio primorum principiorum; ut Atheismus potius indirectus emergat. Non quidè omnimoda atq; absoluta repugnancia ad Atheismum statuenda, propter principiorum innatorum abusum, non minorem obliterationem, aut suffocationem, ut in his quidem, ubi rationis usus nondum plenariè sese exerit, potentia illius non repugnancia remotior sit; at in recto rationis usu pollutibus propior: Jadedeq. Atheismi directi possibilitas potius, quàm actualitas concedenda: indirecti verò practici & theoretici sepe numero sese exerit actualitas Conferatur D. Gisbert. VOET: Diss: de Atheismo.

PROBLEMAT A.

I. *Utrum notitia naturalis insita, absoluta evidentia & infallibilitatis sit?*

EVOLUT: PROBLEM:

S. I. Non quidem queritur, an absolutè notitia DEI de Essentiá ipsius hominis sit, ut simpliciter repugnet, non esse hominem sine eá, uti homo non est sine animá rationali: Sed agitur unicè de naturali illarum impressione, quæ nec deficere in ullo, nec desistere unquam potest per naturam, nisi ipsa hominis natura deficiat.

II. *Queritur de evidentia per naturam concessa, non vero per abusum principiorum obliterationa aut obfusca.*

PRO-

PROBLEM: DECISIO.

Notitiam DEI naturalem insitam absoluta evidentia ac infallibilitatis esse, probamus,

I. *Ex imaginis divina reliquiis, qualis evidentia & claritas fuit totum, imago ipsa divina, talis etiam esse pars residua: At illa absolutæ fuit evidentia: Ergo.*

II. *E principis Legis naturalis, sive juris divini innati: Ubi Lex, ibi & Legislatores: At in omnium conscientia de amore in DEUM, ejusq; cultu, dilectione proximi, ac honestate, evidentem fuisse legem in Gentibus probant facta, referunt dicta. Ergo.*

III. *A Conscientia stimulis: hæc enim hilarem reddit animum in rebus benè gestis, hæc dejicit animum in malè factis, nemine moyente: eadem est accusatrix, est testis, est rea, est judex, est damnans vel absolvens, est infernus & vita. Numen subest in tam evidenti Conscientia actu & synteresi Verbo Menander: Cunctis hominibus conscientia est DEUS.*

IV. *Ab unanimi Ethnicorum consensu, in quibus nulla ferocitas, nulla barbaries, nulla immanitas, quantumcumque ea fuerit, divinitatis sensum unquam extinguere prorsus & eradicare potuit, quin Deos sibi, licet in objecti errantes essentia, in existentia certi, formaverint & magno honore persecuti fuerint. E quorum coetu producendus unice Jupiter, quem Lytenses colebant ut Deum Deorum Act: 14. 15. ut omnium Deorum Patrem, & cæli conditorem, naturâ & ratione ducente intelligentem Vid: Lactant: l. 1. de Fals: Relig: c. 5. VARRO apud August: lib. 4. de C. D. cap 9. nec non lib: 6. & 7. Et quem fugiunt Arati carmina inqvientis: Dei Genus sumus: Ab Jove principium? quæ illæ voces: & compita & hominum coetus, & mare & portus esse Jovis plenos? Scilicet error in Objecto evidenter probat notitiam insitam.*

CONTRARIORUM VENTILATIO.

Agmen Adversariorum ducit SOCINUS in Praelectionibus Theo: c. 2. pag. 7. inqvientis: recepta hodie sententia est, homini

B 2

natura

naturaliter ejusq; animo insitam esse divinitatis alienius opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quiq; humanarum rerum cum primis curam gerat, hominibus consulat atq; prospiciat. Hanc Sententiam falsam esse arbitramur. Probaturus mentem suam è rationibus Philosophicis, instituto nostro maximè convenientibus, in suas trahit partes potissimum

II. Aristotelem secundo ab eo loco eapropter ponendum, si res tam evidens, quam dubia, & ipsis adeò Interpretibus obscura videtur: I. adducitur ex Philosopho illud commune: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*: At universaliter illud procedere, nullo modo largiendum, cum primis applicatum rebus supernaturalibus. Dein nihil est in Intellectu quoad esse intentionale, quin prius fuerit in sensu, non verò quoad esse reale: uti illa notitia realiter inest Intellectui. Præterea nihil est in Intellectu per ideam, sive Idealem representationem, quin prius fuerit in sensu per phantasma sive speciem sensibilem aut directè aut indirectè. Deniq; nihil est in Intellectu per modum actus, beneficio abstractionis seu quoad actualem cognitionem, quin prius fuerit in sensu. Est tamen aliquid in Intellectu per modum habitus ante abstractionem & conceptum actualem:

II. Adducunt illud, *Animam esse instar Tabule nude, in qua quidem nihil scriptum, quodlibet verò inscribi potest* Lib. 3. de Anima c. 4, Opponunt verò hoc sine evidenti ratione, ut solidè demonstravit D. CALOV. in Theol. Nat. & Revel. p. 149. Tom. II. System. p. 84. concedendum illud esse de actuali notione, quantum ad speciem expressam, & ideam mente conceptam, non verò de habituali notione, cum consequentia à negatione specierum expressarum ad negationem habitualis notitiæ innatæ non procedat. Confer B. MEISN. lib. 3. de Legibus q. 3. pag. 161.

III. Hoc sensu pleriq; Aristotelici notitias illas innatas planè negare sustinent: è quibus unicus citandus nobis venit Johan. ZEISOLDUS Profes. Jenens. Honorarius, in Dissertatione de notitiis Naturalibus contra SPERLINGIUM, fidissimum Naturæ interpretem, dum viveret ipse, editâ, de quâ sibi-
mes

met ipsi solus gloriam victoriae promittit. Et post fata Sperlingii in processu Disputandi Sperlingiano secunda vice edito, librum illum intactum jaecitat, cum tamen, in citata illa *Disser- tatione de Principiis nobiscum natis* sufficienter & per omnia ra- ctus fuerit. At placuit homini, non modo illud B. Sperlin- gio post fata tribuere, sed & plura alia à veritate ac intentione praeceptoris optimi aliena, in *Processu illo Disput: Sperlingiano*, qui meretur omnino *processum confutandi Zeisoldianum*.

PROBLEMA II.

*Utrum Argumenta probanda acquisita notitia
DEi tam firma & solida sint, ut Scientiam ve-
ram generent?*

EVOLUT: PROBLEM:

§. I. Scientia, habitus ille acquisitus intellectualis, est ef- fectus demonstrationis, sive à priori, sive à posteriori ea defuma- tur: à posteriori concessimus ante eam notitiam acquisitam.

II. In commune Paulus VOET. in *Theol. Nat: Reform:* existentiam Numinis à priori probari posse statuit, ex eo, quod si praedica- tum aliquod essentiale de DEo aliquo modo à priori demon- strari potest, etiam aliquo modo à priori demonstrari potest, Deum esse; At verum prius. Ergo. Major est firma quoad ho- minem. Minor prob: quia à priori aliquo modo de DEo de- monstratur, quod sit immortalis, sub demonstratione Metaphy- sicâ, uti omnia Entis attributa de Ente. Ergo poterit etiam aliquod praedictum essentiale à priori de eo demonstrari. Ma- ximè verò inde mentem probat, quia existere DEum per Axio- mata seu propositiones indubitatae veritatis probari potest. Ergo à priori probatur, quia demonstratio per Axiomata facta, est à priori.

PROBLEM: DECISIO.

*Argumenta probanda notitia acquisita adeò fir-
ma esse, ut scientiam generent, probamus
vel maximè* Ab

I: Ab effectu ad causam colligendo quæ Dionysio dicitur via causalitatis, omnium clarissima. Homo enim creatura intellectualis, & Microcosmus si semet ipsum ingreditur, spiritum ab alio inspiratū, & corpus per creationem, vel immediatā vel mediatā cōcessum sentit, ex rationis dictamine: egreditur se, tanquam Microcosmum, ingressurus Macrocosmum, , deprehendit animantia Bruta juxta se posita, in tantā specierum varietate, quantam Intellectus humanus in tam specioso Vividario vix capere potest: ex eo in Viridarium progreditur, spectator Plantarum & Arborum, tandemq; in Naturæ latifundia se mittit, investigaturus Mineralia: in singulis conditorem aliquem fuisse, & conservatorem etiamnum esse, percipit evidenter. Quot verò vestigia Sapientiæ divinæ in Elementorum natura ac stupendis operationibus cernit? quot documenta bonitatis é Meteororum dispositione, tempestatumq; ordinati-
one? quot deniq; Potentiæ divinæ testes luculentos sistit expansum illud nitidissimum cum universo stellarum exercitu? Totus mundus loquitur Deum, & maxima, & minima corpora laudant Autorem sui Objectivè aut effectivè.

II. Ex primariarum Disciplinarum sede, ut pote.

1. In Gnostologia ex Conventientiarum ita colligitur: Datur Summè necessarium, quia dantur necessaria.

2. In Metaphysicâ à causarum subordinatiōe, cum in causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, & medium est causa ultimi, sive media sint plura, sive unum tantum. Si ergo non fuerit primum in Causis efficientibus, non erit ultimum nec mediū. ut Thomas ratiocinatur, & colligit ulterius: Omne Ens quod est in mundo aut est à se, aut ab alio: Non vero est à se, esset enim sui ipsius Causa efficiens, esset seipso prius & posterius, esset & non esset. Ergo ab alio productum; ut tandem ascensus fiat ad Causam Primam. Cui sequens addi potest: datur Dependens, Ergo & Independens.

3. ex Physica. Arist. lib 8. Phys. a motu concludit ad motorem, cum omne quod moveatur ab alio moveatur, Ergo datur primum movens immobile.

4. In Ethicâ causa actuum moralium prima concedenda.

5. In

§. In Politicâ mutationes Regnorum & determinationes Politiarum Numen subesse eloquuntur.

CONTRARIUM VENTILATIO.

Iterum SOCINUS atq; Ostorodj partes contrarias hic sustinet, ille refutato sufficienter à suo alias Crellio l. de Deo & attrib. c. 3 p. 9. in *Prælect. Theol. pag. 4.* objicit exemplum Aristotelis, qui mundum Creatum esse ignoravit. R. est Fallacia Causæ, defectus non à parte rei hic datur, sed à parte inquirentis: Negato actu secundo, non statim negando actus primus. Dein Aristotelē unam mentem in Mundo statuisse, præter è *Lib. de mundo,* & longe plura in *Metaph. & Ethicis* inveniuntur, desumpta à *moventium ordine,* ab *efficientium serie,* à *rerum ordinatâ dispositione,* & deniq; gubernatione, quæ deduxit ubertius D. CALOV. in *Theol. Nat. & Revel. secundum Aug. Confess. cap. 2. p. 144.* Addatur æque Zeisoldi *Tract. de Aristotelis in illis quæ lumine Naturæ innotescunt, cum Scriptura S. consensu &c.*

PROBLEMA III.

Utrum propositio illa, Deus est, per se nota sit?

EVOLUT: PROBL.

§. I. Thomæ propositio per se nota est ea, ubi prædicatum includitur in ratione subjecti, ut homo est animal, Scoto verbò renuente 2. Idem dispescit eam in talem quæ est secundum se non quoad nos, & talem quæ est secundum se & quoad nos: propositionem illam, DEUS est, per se esse notam, non verò nobis per se, notam, sed indigere demonstratione per magis nota quoad nos. 3. Queritur hic de cognitione habituali, non actuali. 4. Vocatur propositio per se nota ratione nostræ cognitionis & in oppositione ad eam, quæ postulat extraneam probandi medium, hæc verò vel naturâ duce vel ex terminis propriis clara fit: ita enim per se nota secundum se est, ut respuat omnem aliam probationem.

PROBLEM: DECISIO.

Illam propositionē Deus est, & secundum se & quoad nos per se notā esse probamus. 1. Ratione cognitionis habitualis à principis menti humana naturâ impressis. 2. Ratione actualis, à terminis clarissimis & in assensum necessario trahentibus. 3. A Scholasticorum

eorum

eorum testimonio, Alberto, Bonaventurâ Abulensi, Gregor: de Valentiâ, Pesantio ac Svarezio.

CONTRARIUM,

Sustinent Interpretes Thomæ, non destituti Argumentis suis, quibus tamen solide satisfacit D. MEISN: in Disp. l. de cogn: Nat: §. 17. & seq. Conferatur & Paulus VOËT in Theol: Nat: Reformata c. 2. §. 2. p. 23. & sequ:

AXIOMATA,

I. Deum esse & Credibile est & intelligibile.

Et scriptura enim, & Natura Existentiam DEi inculcant, illa per Revelationem, hæc per rationem: Illa Fidem generat, hæc Scientiam vel notitiam aliquam: inde à Theologis pro Articulo fidei habetur mixto, non simplici. V. B. Meisn. Phil. sobr. p. 1. qv. p. 37.

II. Via Naturæ est via ad Scripturam.

E creaturis Creatorem legimus & in singulo opere opifex sistitur: in qua cognitione vero non subsistendum, sed in intimiorem per eandem concedendum, quæ verum Deum monstret, & fidem salvificam in eum accendat; Alioquin & illi Theologi naturales nullam coram Deo per ignorantiam sui mererentur excusationem.

III. Notitia DEi Naturalis est Universalis.

Universalitate Causæ efficientis, medii, subiecti, cum Deus per imaginem sui primis Parentibus eam concediderit, post lapsum verò per generationem Naturalem in omnes homines diffuderit.

IV. Notitia DEi naturalis est vera, necessaria atq; utilis.

Vera est in se, per accidens verò falsitatis obnoxia: necessaria est ut nemo sine DEi notitia & Numinis sensu esse queat: Utilis deniq; in illustranda Scriptura S. penes Christianos, in quærendo Deo vero penes Ethnicos, & in inducendâ mentibus mortalium honestate penes universos.

V. Respectu Theologiae revelatæ valde imperfecta est.

Superat enim Gratia DEi naturam, & revelatio rationem, quare imperfecta ea aut languida aut fere nulla, pronunciant D. Chemnitio.

VI. Dubitare de DEi existentia est dubitare de semet ipso.

Contra Renatum de Carthes: hoc pono lib. 1. §. 4. de Serv: Corv. qui ad majorem sibi faciendam fidem in reliquis, etiam de DEo dubitare temerario planè ausu sustinet: longè felicius dubitabit de semetipso, de suo principio: Cogito quia sum, aliisq; probabilibus: dubitabit ita de principiis secum natis, dubitabit deniq; de Conscientia Numen circumferente. Ita dubius est in suâ ideâ, in apprehendendo vero, quo de prolixius Paulus Voët in Theol: Nat: cap. 2. pag. 9. Cui jungi potest B. Sperlingius in venustâ Oratione Magisteriali M. S. de principiis Cartesianis.

Perverse factis Epicurus quem ne-
gat, illum

Unâ cuncta canunt voce Creatâ
Deum.

Res bona nosse Deum Naturâ, sed ma-
gis istâ

Ex verbo summum res bona nosse
Deum.

Hunc tibi prima fuit **STELLERE** hic cura
sciendi,

Perge ita; sic studii præmia digna feres.

ABRAHAM CALOVIVS D.

Unden Herrn Respondenten

Wegen seines frommen Fleisses / und fleißiger Frömmigkeit mir
bekandten und wehrten Freunde:

Sey Schöpfers sein thut dar daß ganze Kund:

Der kleinern Welt / wann sie zu erst entstehet /

Macht Dieses sein Natura balde kund /

Wann Sie hernach zu andern Cörpern gehet /

Da zeigt ihr Ein jeder **GUTTES** sein.

Daß stellst du dar / Herr Steller / auß den Schriften

Die hauffenweiß Natura giebet ein:

Dein frommer Fleiß erschalt in allen Lüfften.

gab dieses Glückwünschend

M. SIMON FRIEDERICH FRENZEL,

der Philosoph: Facultat. Adjunct.

Sit felix quod agis, quod agis STELLERE; quid ultra?
Principium summus dirigat Orbe DEUS.
Principio Medium faxit jungatur amicè,
Et medio Finis, dulce coronet opus!

Hec

Per Eximio & doctissimè Erudito Dn. Resp. Amico,
Contubernali & Conterraneo suavissimo gra-
tulabundus adponebat

JOHANNES GOBIUS

Quod sit principium, medium, finisq; laborum
Tuorum, hic ausus indicat.

Scilicet ipse DEUS Ter Maximus, Optimus, illum
Novisse, Tua scientia est.

Premia cum studio jam cernis larga, sed olim
Visurus es quàm maxima.

*Paucula isthac, PRÆEXIMIE amicissimeq; Dn. STELLER
à tuo febricitante Amico eò suscipe animò, quo eum
prosequeris*

JOHAN. Schnakinger.

Jam quoq; Leucoridum scandis STELLERE sacrata
Pulpita; quo Patribus Te, studiumq; probes.

Monstras, posse DEUM Natura Lumine nosse:

Quem falsò factis impia turba negat.

Pergito: pro Summo fortissima praelia misce

Numine; nam laudem, & spolia larga, feres!

Honori & amori, erga Pereximium & Doctissimum Dn.

Respondentem Popularem & Amicum conjun-

ctissimum, quod debuit, L. M. Q. adum-

brare voluit

Christophorus Parschitius Roseb.

Hungarus Theol. Stud.

21 mg. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

23 17







Farbkarte #13

B.I.G.



12

NATURALI
NTIAM

INFINITI,
EST

AS,
SPICE
tebergensi
SIDIO

q; Amplissimi
FRIDERICI
ELII,
Philos. Adjuncti

mi,
toris sui aeternum
lam suscepit

LLER, Hung:
of: Stud.
o Majori
loris Antemerid.

RGÆ,
N, M.DC. LXVII.

Handwritten notes and a signature, including the number 2420.

